

CONCIO IV.

QUIBUS MODIS AC MEDIIS FIDES PER ORBEM
PROPAGATA SIT.

I. Christianorum primorum virtute.—II. Prædicatione
efficaci. — III. Miraculis. — IV. Persecutionibus.
— V. Singularem Dei assistentia.

THEMA.

Simile est regnum caelorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Quod fides christiana Christique evangelium
granum hoc sinapis sit juxta Christi prædictionem,
id jam non amplius credimus, sed oculis
videmus et manibus palpamus; quemadmodum
videlicet ex minimis initiis in immensam creverit
molem et per totum orbem ramos suos extendit.
Id vero nunc quærent multi, qua ratione,
quibus mediis et adjumentis adeo creverit. Et
facilis responsio. Qua enim ratione provenit ex
agro multa et copiosa messis? Nonne si ager
ipse sit pinguis et idoneus, si semen sit sanum
et efficax, si pluviarum adsit crebra irrigatio, si
nix, gelu et ventus suo tempore accedant, ac
denique sol subinde affulgeat? Ad eundem modum
crevit fides et evangelium. Quod videtur
colligi posse ex parabola illa Marc. IV. proposita.
Ubi Dominus: *Sic est regnum Dei*, inquit, *quem-*
admodum si homo jaciatur sementem in terram et dor-
miat, et exurgat nocte et die et semen germinet et in-
creseat dum nescit ille. Ultra enim terra fructificat
primum herbam, deinde spicam, deinde plenum fru-
mentum in spica. Quæ nunc accuratius videbimus.

I. Per agri Dominici bonitatem et pinguedinem,
id est, per Christianorum primorum bonitatem
et sanctitatem, quam cum aspiciabant gentiles,
vehementer inde movebantur ad amplectendam
fidem christianam tamquam ad sanctitatis
scholam et magistratam, juxta id I. Pet. II.
Conversationem vestram inter gentes habentes bonam:
ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de
malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes
glorificent Deum: et S. Paulus ad Philipp. II.
Sitis sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione
in medio nationis pravæ et perversæ inter quos
lucetis sicut luminaria in mundo: et II. Cor. II.
Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi sunt,
et in iis qui percutiunt. Et ex hoc odore unguenti
repleta est tota mundi domus: ut illa Simonis,
ex effusione unguenti, Joan. XII. Hic splendor,
hic odor traxit ad fidem innumeros gentiles.
Viderunt enim illi in Christianis morum innocentiam:
ita ut Christiani ab ipso eorum appolline justii
pronuntiati sint fuisseque sibi im-

pedimento ne vera ederet oracula: ut objicit illis
Constantinus Magnus, in edicto apud Euseb. in
vita, l. II. c. XLIX. et L. Fatetur etiam Plinius
secundus Bythinæ præfectus, in ep. ad Trajanum
imp. « Christianos stato die ante lucem convenire
carmenque Christo quasi Deo, dicere secum invicem;
seque sacramento non in scelus aliquod obstringere,
sed ne furta, latrocinia, ne adulteria committerent,
ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. »
Sic Plinius. » Fuit forte sacramenti illius obstrictio,
quam meminit Tertull. ad Scapul. scilicet: « Nemo nostrum
sceleratus aut nequam esto. » Qui et ait: « Depositum
non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus,
pupillos pie tractemus, nulli malum pro malo reddimus,
etc. » S. Blandina in tormentis de criminibus
interrogata: *Christiana sum*, inquit, *nec mali quidpiam a nobis committitur.*

Barbari item cum sub Gallieno imp. variis irruptionibus
Romanum imperium vexarent et inde Christianos
secum abducerent, ob eorum innocentiam, sanctitatem
et mirabilia patrionem in admirationem, amorem et
imitationem denique illorum perducti sunt, ut testatur
Sozom. l. II. c. XXVI. et Niceph. l. VIII. c. XXXIII.
Videbant et mirabantur in illis fidei constantiam
invictam, alacritatem ad patiendum, iniquam eorum
condemnationem; veluti cum duceretur S. Andreas,
clamabant enim ad Ægeam proconsulem: *Concede nobis*
hominem justum, redde nobis hominem sanctum, etc.
innocens ejus sanguis sine causa condemnatur.
Videbant eorum sacra, ritus, cultum Dei, et inde
obstupescabant, quemadmodum Afra Augustana cum
videret in sua domo Narcissum episcopum toto corpore,
vultu oculisque se ad orationem componentem,
insolita pietate stupefacta ad ejus pedes se abjecit,
vitam impuram abjuravit et fidem amplexa est.
Videbant deinde in illis admirandum mutuae
charitatis vinculum, qualiter videlicet una cibum
capere in publico solerent: non delicatum et
splendidum, sed *promiscuum*, id est, facilem paratu
et obvium, ut ait Plinius ad Trajan. qualiter ditiores
pauperum curam agerent et eos de mensis suis
sustentarent, se mutuo in templis et in publico
salutarent osculis, pro sustentatione egenorum
collectas facerent, intimos etiam carceres intrepidi
penetrarent sacerdotes ut incarcerationis confessoribus
eucharistiam offerrent, (teste Tertull. II. ad uxorem
et divo Cypriano, de cura pauperum et victorumum)
se mutuo ad martyrium fortiter subeaudum hortarentur,
et qui fortiores erant licet nondum victi, nutantes
strenue confirmarent, martyrum corpora maximo studio
et contentione, summo suo periculo

raperent, eoque veluti sanctos honorifice tumularent.
Hæc animorum unio invictos illos reddidit et victores
ethnicorum, juxta id Proverb. XVIII. *Frater qui*
adjuvatur a fratre quasi civitas firma. Dicebant enim
de illis ethnici: *Vide ut se mutuo amant! Ut pro*
invicem mori parati sunt? Tertull. Videbant item
maximam eorum charitatem et benevolentiam, etiam
erga gentiles et inimicos suos, quam imperatorem
quantumvis paganum summopere venerarentur eique
omnia felicia precarentur, ut ex Tertull. aliisque patet;
quam pro persecutoribus etiam suis orarent, et
carnificibus suis libentissime ignoscerent ac signa
amoris exhiberent; quam etiam erga gentiles præberent
se hospitales et munificos, apud Lucian. quantum legio
Christianorum Aurelio imp. in rebus desperatissimis
victoriam mirabiliter impetravit, ut testatur Marcus
Aur. imp. ipse in ep. ad senatum; quam ipsos
gentiles partim a dæmonum obsessu liberarint, ut
Albercius Hierapolitanus episcopus Lucillam filiam
ejusdem Aurelii, ut in actis Albercii, apud Metaphr.
22. octobris; quam eos sæpe ab infirmitatibus
liberarint; quam eis famis tempore victum suppeditarint
et peste infectis (quos ipsimet gentiles fugiebant)
libentissime ministrarint sub Gallieno imperatore,
anno 263, apud Baron. Nobilis est historia illa
quam de Pacomio legimus, qui cum mereret sub
Constantino Magno etiamnum gentilis, et a vera fide
alienus, Cæsarisque miles adeo rerum omnium inopia
premebatur ut fame quam plurimi necarentur, venientes
alii ad quamdam civitatem repererunt eives ad eorum
calamitatem sublevandam profusissime liberales.
Miratus Pacomius, et quænam hæc gens esset, quæ
tam prolixè in militem externum sua omnia effunderet,
intellexissetque esse Christianos, quorum institutum
professione propria esset aliorum necessitatibus pro
viris opitulari, sensit illico interius moveri sese,
et cor veluti numine tangi, quare nulla interposita
mora, elatis in cælum manibus, Deum testem
invocat, velle se, relictis castris, Christianorum
religionem mox sequi, eorumque sacra cupidissime
amplecti. Satis nimirum ipsi erat ad conversionem,
et ad credendum eam solam veram fidem religionemque
esse, quæ homines tanta charitate conglutinaret.
Ad hæc in vita S. Agnetis habetur, quomodo ipsa
præfecti filium, qui se invaserat a morte suscitavit:
in vita SS. Joannis et Pauli, quomodo Terentiani
præfecti filium a dæmone liberarint: in vita SS.
Laurentii et Pergentini, quomodo obrigescentibus
carnificibus orando vigorem restituerint: in vita
S. Sabini quomodo Venustianum præsidem ocu-

lorum dolore percussum sanavit: in vita SS. Nazarii
et Celsi, quomodo ipsi mergentibus se naufragis
et postea periclitantibus subvenerint: in vita
S. Christianæ, quomodo ea carnificem suum a serpentibus,
qui in virginem immittebantur, occisum ad vitam
revocarit. Et alia sexcenta apud Marulum, l. III. c. III.
His ergo et similibus amoris philtris longe efficacissimis
converterunt ss. martyres et primi Christiani tyrannos,
carnifices, populumque spectantem. Et hæc fuit
agri Dominici in primævo illo flore bonitas et
pinguedo; quæ si adhuc in eo vigore esset, non
difficiliter converterentur, qui supersunt infideles
et hæretici. Sed dolendum, quod S. Hieronymus,
in vita Malchi scribit, Christi Ecclesiam scilicet
postquam ad Christianos principes venit, potentia
quidem et divitiis majorem, sed virtutibus minorem
factam esse. Nimirum ut recens ager initio
pinguissimus et fertilissimus est, postea paulatim
exhauritur: ita et ager Ecclesiæ.

II. Per seminis jacti, id est, prædicationis verbi
Dei efficaciam. Grano sinapis vis quædam ignea
inest, corpus inflammans ob acrimoniam: sic et
verbo Dei. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis,*
dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?
Jere. XXIII. Igneam hanc vim experti tria millia
hominum illorum, qui in pentecoste ad unam
Petri concionem conversi et baptizati sunt: experti
quinquaginta illi philosophi disputantes cum
S. Catharina, ejus demonstrationibus victi et convicti
ejurato idolorum cultu fidem mox amplexi sunt
et martyrio consignarunt, apud Metaphr. experti
illi dialectici gentiles, qui in consensu episcoporum
sophismatibus agentes confusi sunt ab uno laico
simplice ac sincero dicente: Christum certe et
apostolos artem deserendi nequiquam nobis tradidisse,
neque inanes fallacias, sed mentem apertam et
simplicem quæ fide et operibus integra servari solet.
Hanc enim ejus sententiam mox admirati approbarunt
et acquieverunt, Socr. l. I. cap. V. Sozom. et
Ruffin. expertus ille philosophus gentilis, qui in
præsentia Constantini M. Byzantii disputaturus
cum Christianis, cum dicere parans ab Alexandro
episc. Constantinopolitano non admodum litterato,
sed morum sanctitate præstante, in nomine
Christi tacere jubebatur, mox velut elinguis
ne verbum quidem proloqui potuit, sed victum
se præbens, manum Alexandro præbuit et reliquit,
sepositis altercationibus, volentes fidem amplexi
sunt, Euseb. in vita Constant. expertus et ille
gentilis philosophus seu Eulogius secundum Glycam,
seu Phædon secundum alios, qui in Concilio
Nicæno fidem christianam pertinaciter impugnabat,
nec ullis acquiescebat rationibus.

Hujus pertinaciam videns Spiridion senex episcopus Trimituntinus in Cypro, humanas quidem non callens argutias, sed plenus Spiritu sancto, provocato eo in certamen (non sine plausu et risu gentilium, timore vero catholicorum Christianorum, qui eum quidem sanctum, sed interim parum esse doctum noverant) dixit: « In nomine Domini nostri Jesu Christi, audi, vir philosopho. Unus Deus est qui omnia per Verbum et Spiritum sanctum suum creavit. Hoc Verbum Dei Filius est qui miseratus naturam humanam eandem suscepit, ut a peccatis et damnatione homines redimeret: et postea venturus est iudicare vivos et mortuos et reddere unicuique juxta opera sua. Quare noli mysteria hæc curiose inquirere et scrutari, quomodo fieri ista possint; sed humiliter crede atque intellectum captiva. Habes quod ad hæc respondeas? Responde, credisne? » Mirum dictu! Philosophus in sancti viri verbis divinam sentiens virtutem: *Imo vero, respondit, ac singula quidem credo, et gratias habeo quod tam bene me instruxeris.* Adjecit jusjurandum se vi ac virtute divina quadam in explicabili mutatum et conversum esse, moxque cæteris philosophis sui similibus auctor esse cœpit, ut et ipsi pertinaciam deponerent et rationem fidei submitterent, refert Sozo. l. I. cap. XVII. et Rufin. l. I. c. III. qui subjungit: « Philosophus e conversus ad discipulos suos vel eos, qui audiendi gratia convenerant: Audite, inquit, o eruditi viri, donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, et quæ dicebantur, dicendi arte subverti; ubi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo. » Evenit huic philosopho quod magis Pharaonis, qui vertente Moysè virgam in serpentem, aquas in sanguinem, vertebant etiam ipsi: educante eo ranas ex aquis innumerabiles, educabant etiam ipsi; sed cum produceret Moyses e pulvere terræ ciniphes, minutissima animalcula, seu culices, nihil amplius potuerunt magi, sed dixerunt: *Digitus Dei est hic*, Exod. VIII. id est, potentia et operatio Dei. Si enim per doctorum sapientiam conversus fuisset mundus, non ita apparuisset hoc Dei opus esse: nunc autem dicere omnes debent: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

III. Per imbrium copiosam irrigationem, id est, per miraculorum ostensionem, quæ de cælo donata in agrum Domini efficacissime influxerunt, eumque brevi mirabiliter fecundarunt. Hoc enim est quod prædixit Deus per Joelem prophetam, cap. II. ut ipsemet S. Petrus explicat et factum esse asserit in concione habita die pente-

costes, Actor II. *In diebus illis effundam de Spiritu meo et prophetabunt; et dabo prodigia in cælo sursum et signa in terra deorsum, etc.* Quæ quidem irrigatio primis illis temporibus necessaria erat, tum ut homines res supra facultatem rationis positas tamquam libris testimonialibus consignatas et sigillo confirmatas (juxta id Marci ult. *Prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis*) credere possent, quæ alias vix credi poterant: tum ut per eam novellæ plantæ non exarescerent, sed firmas in fide radices agerent: quomodo etiam plantis nuper positis frequentior irrigatio necessaria est. Quam ob causam scribit S. Gregorius, hom. XXIX. in evangel. « Ut ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. » Talis igitur irrigatio facta imprimis est in die pentecostes, cum apostoli linguis variis loquebantur: unde tria millia conversa sunt: talis, cum S. Petrus Simonem magum dejecit ex aere volantem, et cum juvenem excitavit, quem is excitatum se jactabat, apud Hegesippum de excid. Jerosolym. talis, cum Amanus S. Marci discipulus, Alexandriæ jussis Christianis a rege Babylonæ montem transferre juxta prædictionem Christi: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc, etc.* Matth. XVII. aut fidem negare vel supplicia subire, montem loco cedere coegit, et celerrime per aerem velut navem versus Babylonem ferri. Unde rex et omnis populus conversus est, apud Petrum de natalibus in catalogo sanctorum: et alia innumerabilia. Atque ita non modo talia, qualia Christus fecit miracula, a Christianis facta sunt, sed etiam majora, ut prædixerat ipse. Cujus rei typus fuit Moyses et Aaron facientes prodigia coram Pharaone in Ægypto, donec dimitteretur populus Dei.

IV. Per cæli tempestates, frigoris et nivium constrictionem ac ventorum agitationem, id est, persecutionum tempestates. Quomodo enim tempestates illæ frugibus non modo non obsunt, sed prosunt: (nix enim calorem terræ instar velleris instrati fovet, et ne gelu profundius penetrans vim seminalem extinguat, impedit, gelu vero calorem terræ repercutit et introrsum agit, ne evanescat; ventus denique inutiles terræ humores absorbit, segetem excitat et latentem frugem ruptis folliculis aperit) sic etiam persecutiones fidem promoverunt. Hæ enim fidelium fervorem in suo vigore confovebant, eorumque latentes virtutes in lucem prodiderunt. Unde cæ-

des Christianorum aliud non erat, quam sementia in terram jacta; quæ ex uno grano decem, imo centum et plura proferebat. Unde Tertullianus, in apolog. dixit: *Sanguis martyrum est semen Christianorum*: siquidem ipsis cadentibus multa sæpe centena ac millia surgebant Christianorum, qui partim illorum fortitudinem, partim miracula, partim Dei præsentiam cernebant. Modico vento ad incendium accedente tota facile exurit civitas: sic flagrante persecutione accendebatur fides. Hic ventus statim in prima persecutione Jerosolymitana post Stephani necem dispersit felici eventu Christianos in plurimas nationes, qui ideo dicti Hebræi dispersionis. Et quemadmodum incendium corripit sæpe eos, qui restinguere id conantur; ita sæpe ad fidem tracti sunt, qui fideles impugabant. Cujus rei figuram legimus I. Reg. XIX. ubi cum Saul Davidem persequens intellexisset eum cum Samuele morari in Naioth Ramathæ: *Misit lictores ut raperent eum: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, id est, Deum laudantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis et prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios: prophetaverunt autem et illi. Et rursus misit Saul tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt. Iratus ergo Saul abiit etiam ipse in Ramatha, et factus est etiam super eum spiritus Domini et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis et prophetavit eum cæteris coram Samuele et cecinit nudus tota die illa et nocte. Unde et exiit proverbium: Num et Saul inter prophetas? Quod Samuel inter Davidem et cæteros prophetas, hoc Christus inter apostolos et primos Christianos erat. Hos enim cum tyranni, Saulis imitatores rapere ad supplicium vellent, rapti sunt ipsimet et ministri eorum, judices et lictores ad fidem christianam. Sic evenit inter multa exempla, in martyrio S. Faustæ virginis, quæ cum virginitatem cole-ret et sanctissimam vitam degeret, Maximianus imperator re intellecta præcepit judici nomine Evilasio, ut virgini cultum idolorum persuaderet. Quod cum effectum dare non posset videretque simul miracula, quæ sancta virgo faciebat, inspiratione divina motus similiter fidem Christi amplexus est. Iratus imperator alium judicem constituit nomine Maximum, ut virginem una cum judice excarnificatam interficeret; iudex hic cum omni diligentia volens imperatoris mandato satisfacere, ambos in ollam aquæ ferventissimæ immisit. Sed cum in ea nihil tormenti sentirent martyres, motus inde iudex et ipse ad fidem conversus, atque in eandem ollam projectus, atque ita uterque iudex per virginem*

fidem, et cum ea martyrium consecutus est. In martyrio S. Mennæ martyris, cum Diocletianus imperator misisset Alexandriam, truculentissimum iudicem, qui ejus causam cognosceret, is initio adeo curiosus et diligens fuit in exequendo domini sui mandato, ut statim cum Alexandriam appulisset, s. martyri linguam abscederit et oculos eruerit. Sed Dominus, qui mirabilis est in sanctis suis, paulo post linguam illi et oculos restituit. Qua re stupefactus iudex et Dei digito tactus, tanta cum firmitate in Christum credidit, ut una cum S. Menna palmam martyrii adeptus sit. In martyrio S. Martinæ virginis octo carnifices qui illam torquebant, fidem amplexi sunt; videntes penas, quibus putabant se virginem exagitare, pro virgine in seipsos ab angelis retorqueri. Unde mox, diis abnegatis, fidem Christi confessi sunt, et pro ea variis tormentis enecati.

V. Ver solis calorem et serenitatem subinde affulgentem, id est, per singularem Dei assistentiam, curam et providentiam. In primis enim ut aperiret viam evangelio, procuravit Deus, ut per universum orbem talis pax esset, qualis nunquam antea fuerat. Omnes enim nationes uni parebant capiti, Romano scilicet imperatori: ita ut totus mundus unum constitueret populum, et proinde sine impedimento in omnes nationes prædicatio curreret evangelii, quod fieri tam cito et facile non potuisset, si mundus in diversa divisus et animi inter se contrarii fuisset.

Secundo, intra centum illos persecutionum annos subinde Ecclesiam respirare passus est et pace aliqua frui, in qua se rursus colligeret et vires instauraret: uti post Neronis persecutionem sub Vespasiano et Tito, qui vetuit inquiri aut muletari Christianos, Dio. in Tito; Baroni, anno 79. et 81. Post persecutionem Domitiani sub Nerva imperatore, qui captivos Christianos absolvit, exules restituit, et vetuit eo nomine quemquam accusari, Baroni, anno 98. Post tyrannidem Trajani et Hadriani, sub Antonino, qui adversis cladibus territus inhibuit persecutionem, Baron. 134. Post Marci Aurelii persecutionem sub Commodio, Baron. anno 382. et Severo, an. 195. et Caracalla, an. 214. Post Decii furorem, sub Gallo et Volusiano, anno 252. Post Diocletiani et Maximiani interitum, sub Constantino Magno plena tandem Ecclesiæ pax est reddita.

Tertio, multis subinde cladibus effecit Romanos eorumque imperatores Christianorum persecutores, ut non difficulter intelligere poterint, et sæpe fateri debuerint eas sibi ob iniquissimam Christianorum cædem immissas esse. Sic

in ultionem sanguinis christiani effusi sub M. Aurelio, Commodus ejus filius sævit in urbem, senatum, cives, principes, præfectos, immanissime illos trucidando, nulla interim Christianis illata molestia, Baron. anno 182. In ultionem effusi sanguinis christiani per Alexandrinos, sub Severo imp. Antoninus hujus filius ingenti edita cæde Alexandrinos, quod ipsum illusissent, vastavit, Baron. anno 217. idemque immisso exercitu in populum Romanum, Circenses spectantem, quod in aurigam ipsi charum nescio quid cavillatus esset, maximam cædem fecit, Christianis nihil nocuit. In ultionem persecutionis, sub Decio Romani Scythia primum tributarii facti et pestis decennalis orbem vastavit sub Gallo et Volus. Baron. anno 255. In ultionem persecutionis Valeriani Romanum imperium, sub ejus filio Gallieno variis cladibus afflictum in singulis pene ejus regionibus fuit, terræ motibus, multorum dierum tenebris, hiatibus terræ, maris inundationibus, peste, fame, incendiis, barbarorum incursionibus, Baron. anno 263.

Quarto, in omnes orbis partes ablegavit prædicatores eruditione et sanctitate præstantes. Destinatus est Jacobus minor Jerosolymam, ordinarius illius episcopus; Joannes in Asiam abiit, illiusque Ecclesias rex; Jacobus major in Samaria prædicavit et in Hispania; S. Andreas in Scythia et Achaia, etc. S. Barnabas abiit Mediolanum; T. Marcus Aquileiam; S. Dionysius in Galliam, cum Rustico et Eleuthero; Fugacius et Damianus in Britanniam; S. Crescens Moguntiam; S. Maternus Coloniam; S. Eucharis Treviros; S. Andronicus in Pannoniam; S. Augustinus missus a Gregorio Magno in Angliam; Valentinus in Norvegiam; Nareissus Augustam, Bonifacius Moguntiam; S. Xaverius in Indiam, etc.

Quinto, ex oriente quapiam hæresi, semper excitavit aliquos viros eruditos et religiosos, qui eam expugnarent ita ut sæpe unus vir sanctus hæresim integram confutaret et extingueret, quemadmodum de formicis quibusdam scribit Olaus, lib. XXII. c. V. quarum unica interdum in latibulo ursi nidificans, inde ipsum et totam ejus sobolem expellit et perpetuo exulare facit. Sic cum Ariana pestis invasisset orientem, Deus extulit in lucem S. Antonium in Ægypto, unde ea erupit, et S. Basilium in Cappadocia. Cum eandem Wandali intulissent in Africam, Ostrogothi in Italiam, misit Deus Africa S. Augustinum, Italia S. Benedictum; Contra Jovinianum S. Hieronymum; contra Eutychianos S. Sabam; contra Waldenses S. Dominicum, et S. Franciscum; contra Hussitas S. Bernardinum Sennensem, et S. Vincentium Ferrerium: nostro

sæculo contra Calvinum et Lutherum S. Ignatium ejusque societatem, S. Philippum Nereum cum suo collegio, patres Capuccinos, etc.

CONCIO V.

CAUSÆ PROPAGATIONIS HÆRESUM NOSTRI TEMPORIS.

I. Doctrinæ hæreticæ plausibilitas. — II. Dissoluta illius temporis vita. — III. Hæresum propria fecunditas. — IV. Hæreticorum inquietudo et studium. — V. Fraudulentia eorumdem. — VI. Violentia eorum.

THEMA.

Simile est regnum cælorum fermento. Matth. XIII.

Sunt non pauci, qui mirentur, cur hujus temporis hæreses, Lutheri maxime et Calvinii brevi tempore ita sint propagate, ut integras nationes, ac totum pene septentrionem pervaserint et occupaverint. Ecce enim unus Lutherus flagitiosus apostata, sedem Romani imperii, regionem florentissimam, et non tantum fortitudine incolarum sed etiam pietate morumque integritate olim spectatissimam, Germaniam, pravis suis opinionibus ita imbuit, ut a fide in qua nati erant et in qua majores illorum obierant, desciverint, et novam antea inauditam tam avidè et ambabus ut dicitur manibus amplexati sint. Unus Calvinus mali corvi pessimum ovum in plerasque Gallia civitates non tantum novas de religione persuasiones, sed etiam seditiones et horrida bella invexit. Quæ utriusque pestes totam Angliam, Hiberniam, Scotiam, Daniam, Sueciam, Belgium, Saxoniam, et pene totum septentrionem invaserunt et corruperunt. Cum enim nemo libenter decipiatur, etiam qui fors alios paratus esset fallere; omnis autem novitas suspecta sit et fraudem oleat, nemo etiam facile adigi possit, ut fidem a parentibus et majoribus suis hæreditatam mutet, qui tandem fieri potuit, ut tam nova et suspecta dogmata deciperent et ab avita fide abducerent tot nationes? Accedit quod hæresiarchæ isti, et eorum posteri nec sint, nec fuerint unquam vel doctrina præter cæteros eximii, vel rebus miris et quæ naturæ vim exsuperent clari, vel vitæ sanctimonia conspicui, sed potius infames et pessimæ vitæ. Quantos labores exantlarunt viri sanctissimi? Bonifacius Germaniæ apostolus, Kilianus, Columbanus, Wilibaldus, Rupertus, Severinus et alii extra numerum ut Germanos ad veræ fidei agnitionem traducerent? Quos tamen Lutherus ab eadem sine ullo sudore suo abduxit. Quas molestias non susceperunt viri doctissimi et sanctissimi in Gallia, uni sedis

Gallia, Angliæ, Scotia, Hiberniæ, Saxonie, etc. tenebris lumen inferrent? At easdem hoc lumine privare et denuo in æque densam aut ferme densiorem caliginem verique Dei ignorantiam præcipitare, adeo non arduum fuit Calvino, ut id ludibundus et quasi aliud agens perfecit. Quæ cum ita sint, non dubitant hæretici universalem Germaniæ velocem commotionem et versionem nobis quasi portentum et ingens aliquod prodigium objicere, certissimum fidei suæ argumentum. Ecce enim, inquit, Martinus Lutherus unus homo tantum potuit intra paucos annos in effectum dare, ut totum pene attraxerit septentrionem. Ecce fermentum illud modicum, de quo Dominus prædixit, totam (Germaniæ) massam ab eo fermentandam, quemadmodum enim per pauculos et simplices apostolos totum convertit mundum, et hoc ipso doctrinæ suæ veritatem comprobavit: ita totius Germaniæ inversio per Lutheri prædicationem certissimum erit argumentum, fidem illius veram esse. Sed non movemur nos his in anibus hæreticorum bombis; quia si penitus introspeciamus, quid traxerit Germaniam ad Lutheri sectam, non admirabimur. Audiamus.

Comparatur quidem in hodierno evangelio fermento Ecclesia vera et catholica, cum Dominus ait: *Simile est regnum cælorum fermento*, quia nimirum illa immixta tribus satis, id est, mundi partibus Europæ, Asiæ, Africæ, totum mundum fermentavit. Sed comparatur etiam fermento synagoga diaboli et hæresis: et quidem ab ipso etiam Domino, Matth. XVI. monente discipulos suos et dicente: *Intuemini et cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum.* Ubi non corporalem panem, inquit tibi Sanctus Hieronymus, sed traditiones perversas et hæretica significat dogmata. Et de simili, id est, malo etiam fermento ait apostolus, I. Corinth. V. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Itaque nequaquam est sufficiens comprobatio doctrinæ Lutheranae, quod instar fermenti totam inverterit Germaniam: nam etiam modicum aceti dolio generosissimi vini infusum, totum acore suo destruit et corrumpit. Et in simili genere unus Arius totum orientem et ex parte occidentem, unus Donatus et Manichæus totam Africam hæreticis suis dogmatibus olim contaminarunt. Sic denique unus Lucifer traxit secum in perditionem tertiam partem stellarum. Taceo quod fermentum Christi, non unam tantum orbis partem, unam tantum Germaniam, Galliam, aut Angliam, sed sata tria, hoc est, tres orbis partes, adeoque totum mundum debet fermentare; ubique ejus fides coruscare, non in uno

tantum orbis angulo, quemadmodum doctrina Lutheri et Calvinii. Unde dicitur: *Donec fermentatum est totum.* Taceo quod fermentum Christi ab ipsamet prædicatione vim suam exercere et per manus apostolorum et successorum continuo derivare usque ad diem judicii debet: non post quatuordecim primum sæcula, quemadmodum Lutheri et Calvinii dogmata. Id solum nunc dicemus, nequaquam mirum esse quod Germania a fermento Lutheri, aut aliæ nationes a fermento quorumcumque hæreticorum sint corruptæ.

I. Prima causa tantæ propagationis in hæreseon est, doctrinæ illarum suavitas et plausibilitas. Siquidem ex Epicuri schola est, quod libertatem carnî præbet, frænum libidini laxat, leges tollit, opera pœnalia damnat, timorem gehennæ pellit, salutem certo promittit, modo retineas fidem. Quis, quæso, sæcularis homo tam plausibilem doctrinam non obvis ulnis amplectatur? An nescimus saxa deorsum cadere sponte et suo pondere, difficulter vero in altum tolli? Facilius destrui domum quam ædificari? Faciliorem esse descensum, quam ascensum? Doctrina hæreticorum nostrorum deorsum ducit, ad libertatem ducit, disciplinam destruit, descensum offert. Hæc enim sunt eorum dogmata: nullum peccatum damnat nisi sola infidelitas: fides sola absque omni bono opere justificat coram Deo: quodlibet opus bonum intuitu mercedis æternæ factum, est peccatum: auricularis confessio figmentum est: purgatorium figmentum est: jejunia, peregrinationes, et cæteræ carnis mortificationes aniles papistarum fabulæ sunt: vota monastica irritanda sunt, quia Deo contraria: nubendum est omnibus clericis, et similia longe plura. Quare scite et festive Thomas Morus cancellarius Angliæ et martyr Luthero suæ sectæ propagationem jactanti respondisse fertur: mirum id non esse, siquidem facilius sit descensus quam ascensus. Et in epistola adversus Pomeranum scribit: *Ad propositam vitæ libidinem et licentiam populum ruere, majus non est miraculum, quam saxa deorsum cadere.* Cui veritati et hoc addit, quod Castillæ meretrici Socrates quondam respondit. Insultabat illa Socrati ac dicebat: « Tu neminem ex amatoribus meis unquam valebis a me abalienare: at ego quoties lubet, tuos auditores omnes a te avoco et ad me traho. » Cui prudentissime respondit Socrates: « Mirum hoc non est: tu siquidem ad declivem voluptatis tramitem omnes rapis et trahis, ego ad arduum virtutis callem cogo et impello. » Elianus, lib. XIII. de var. histor. Sane in sacris litteris hæresis non semel vocatur meretrix, uti Isa. I. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?*